

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9302

Auteur(s) : André de Vitré [particulier]

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1173-1202]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

André de Vitré donne la terre de Megalleray.

Tableau de la tradition

Original

A. Paris, Archives Nationales, L 969, n° 406.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Redonensi, n° LX)

Texte d'après A

Universis fidelibus tam futuris quam presentibus Andreas dominus Vitreii salutem. Notum vobis fieri volo quod ego Andreas de Vitreio pro Dei amore et pro salute anime mee et patris mei R et matris mee Emme et uxoris mee Mathildis et fratrum meorum et omnium amicorum meorum tam vivorum quam defunctorum, do et concedo Deo et ecclesie Sancte Trinitatis de Savigneio et monachis ibidem Deo servientibus in puram et perpetuam elemosinam liberam penitus et quietam ab omni servicio et exactione seculari et consuetudine omnino absolutam totam terram meam de Mesgaleri sicut via dividit ex una parte a calceia stanni de Faiel usque ad crucem de Broom et ex altera parte ductus aque supra dicti stanni et sicut ambitu circum datur territorio de Brolion. Concedo insuper supradictis monachis de Savigneio libere habere porcos in foresta mea sine pasnagio quando ipsa foresta aliis porcis communiserit. Concedo etiam eis atacheiam molendini de Campoflorido ita tamen quod ibi non recipient ad molendum nisi quos ego voluero. Has autem donaciones concessit Matildis uxor mea et fratres mei Alanus et Robertus. Testibus his Mauricio de Creon, Herberto abbate Clarimontis, Fulcone tunc priore Clarismontis et monachis Johanne de Borgon, Radulfo de Corneleio, Rogero Britone, Gaufrido de Sancto Jacobo, Roberto de Gailliola, magistro Gaufrido de Trembleio, magistro Willelmo de Baaille. Preterea ego Andreas de Vitreio do et concedo omnes donaciones quas fecit Robertus de Vitreio pater meus supra dictis monachis de Savigneio scilicet totam terram que incipit ponte Peregrinorum et vadit per profundum rivum usque ad capud Brollii Faiel et ab inde per mediam Boeliam sicut ipse signavit cum cuse suo usque ad campum Tusche qui vocatur les Aloez et inde per viam Redonensem usque ad Baatam et a Baata per viam que ducit Castelborc usque ad supradictum pontem Peregrinorum insuper et ex altera parte ejusdem vie versus Viceconiam quicquid ad forestam meam pertinere et ad dominicum meum et duo molendina et stannum que sunt apud Faiel et XII denarios quos habebat de mangerio in ea particula terre mee de Verneia juxta Tyse quam ipsi monachi a filiis Mainonis filii Deliee et hominibus eorum habent et ipsam terram liberam penitus et quietam in perpetuum predictae ecclesie et monachis concedo. Supradicta

ita libera et quieta esse volo atque precipio ut nichil in eis michi vel successoribus meis pristini juris retineo nichil omnino excepto nisi a Christo eternam remunerationem et contra omnes impugnatores ipsarum elemosinarum firmam defensionem. Ut autem hec omnia firma et inconcussa permaneat presenti scripto et sigilli mei munimine ea confirmo. Testibus Mauricio de Creon.